

9/ mutum et alios triginta reges, cum infinita multitudine Saracenorum, qui posuerant castra in comitatu Toletano; quos omnes per gratiam Dei fugaverunt, multis millibus interfectis, et aliis pro majori parte vinculis mancipatis.

Quando comes de Monforte et abbas de Cistelle [a] multa millia haereticorum combussit et jugulavit, et comitem Sancti Egidii extra comitatum expulit.

CAP. CXXXVII.

1/ Per idem tempus comes de Monforte, ex mandato summi praesulis, multa millia haereticorum, nolentium jurare stare mandatis Ecclesiae [A], combussit et jugulavit in partibus Tolosae, ac comitem Sancti Egidii extra comitatum suum expulit.

Quando Faventini iverunt in servitium Bononiensium super Pistorienses ad Sambucam.

CAP. CXXXVIII.

1/ Sub anno Dominice incarnationis MCCXIII Faventini a Bononiensibus invitati ad servitium illorum iverunt in comitatum Pistoriensem super arcem quae dicitur Sambuca, ducentes secum multos alios milites et pedites de comitatu Guidonis comitis et comitum Castrocarii, atque abbatis de Galiata; quos omnes propriis retinuerunt expensis unum mensem et dimidium [B].

bene

(Quando Imperator [b], consilio Cremonensium, venit ad urbem Ianuensem.)

CAP. CXXXIX.^a

1/ In nomine Domini MCCXIII [c], cum dominus imperator ex (97) Apulia, consilio Cremonensium, venisset ad civitatem Ianuensem, postmodum venisset usque flumen Ambro [d], et ibidem Cremonenses parati eum cum gloria receperunt, ac si vidissent Angelum Domini, tunc Mediolanenses [e] ex insidiis prosilientes, conflictum magnum fecerunt apud Montem-Malum, in quo multi Papienses capti sunt et in carcerem re-trusi.

[a] de Monforte et Abbas de Cistelle. Sic C. M. — [b] Quando Imperator etc. Titulus de erat in Codd. — [c] MCCXIII. Sic prorsus Codd. — [d] flumen Ambro. Sic Codd., vulgo flume Lambro. Flumen hoc in Mediolanensi ducatu est prope Modoetiam.

[A] Haeretici hi, ut notat Cl. Mittarellius, fuerunt Albigenses.

[B] Haec a cl. Muratorio in Annalibus Italiae confirmantur, aliorum scriptorum coaevalorum fide. Hoc ipso anno Cervienses juraverunt fidelitatem Ubertino potestati Ravennae pro communi Ravennae. Documentum est in Arch. Archiep. Rav., signatum anni 1212, F. 1992, teste cl. Ginannio.

[C] Mediolanenses tunc sequebantur partes Othonis IV, nempe legitimi imperatoris.